

EPISTULA LEONINA

XC

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXXV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM (90) !

ARGUMENTA

MYTHI GRAECI: Herculis facinora priora. Quomodo Hercules contra gigantes pugnaverit. Hercules atque Eurystheus.

ADN. Fabula criminalis a Ferdinando de Schirach conscripta et a Nicolao Groß in Latinum conversa.

FABULAE GRIMMIANAE:

Scordalus (*Rumpelstilzchen*). **Rolandus carissimus** (*Der liebste Roland*).

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam.

Intimo ex animo exopto, ut animus tuus istâ in tempestate rerum, ubi nescimus an caecitate gubernantium Europa in barbariam recideret, ab aegritudine aliquatenus levetur fabulis hac in Epistulâ Leoninâ tibi praebitis: Mythos Herculis nonnullos a Gustavo Schwab enarratos in Latinum converti; fabulam criminalem Ferdinandêam togâ indui; duas Grimmianas civitate Latinâ donavi.

*Denique restat, ut tibi afferam nuntium laetum: **Crabatus Latinus** iam prelo suppositus mox in lucem edetur! Tolle lege attende: laetaberis. Memento Thomae a Kempis, qui scripsit: »In omnibus requiem quaesivi, et nusquam invêni nisi in angulo cum libro«.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!
Medullitus Te salutat**


Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Dominico, **22. m. Nov. a. 2015**



HÔC AUTUMNO

CRABATUS LATINUS

ÊDETUR.

EXSPECTA PAULISPER !



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>



IMPAVIDI PROGREDIAMUR !

ERNST HAECKEL
(1834-1919)

Ernst Haeckel: Freie Wissenschaft und freie Lehre: Eine Entgegnung auf Rudolf Virchow's Münchener Rede über "Die Freiheit der Wissenschaft im modernen Staat". Stuttgart 1878, fin.

MYTHI GRAECI

a Gustavi Schwab narrati, a Nicolao Groß in Latinum conversi.

De facinoribus Herculis prioribus



Figurae evaserant, Hercules solus remansit. Qui statuerat, ut iniret viam virtutis. Necnon mox invênit occasionem aliquid bonum faciendi. Graecia illo tempore adhuc abundavit silvis paludibusque, a leonibus trucibus, saevis apris aliisque beluis permigrabatur. Heroum veterum meritum maximum erat terram ab istis beluis purgare et a raptoribus liberare, qui in regionibus vastis migratori insidiabantur. Herculi quoque destinatum erat, ut haec faceret. Ad suos reversus audivit leonem terribilem versari in monte Cithaero, in cuius radicibus agmina rēgis Amphitryonis pascebant. His rebus modo auditis heros iuvenis mox paratus erat. Idem armatus ascendit feros montes silvestres, leonem superavit, eius pellem sibi circumiecit, fauces cassidis instar capiti imposuit.

Cum ex hac venatione rediret, incidit in praecones Ergini rēgis Minyarum, quibus a Thebanis exigendum erat tributum infame atque iniustum. Hercules, cui persuasum erat se a Virtute consecratum esse adiutorem omnium hominum suppressorum, mox confecit istos nuntios, qui terrae civibus compluries malefecerant, eosque cervicibus vinctis

remisit ad regem mutilatos. Erginus postulavit, ut Hercules sibi traderetur, et Creon, rex Thebanorum, vim imminens timens inclinatus erat ad concedendum. Tum Hercules gregi iuvenum audacium persuasit, ut hostes aggredierentur. At nullâ in domo civium inventum est telum; nam Minyae totam urbem dearmaverant, ne Thebani consilium caperent seditionis concitandae. Tum Minerva Herculem in templum suum vocatum armis propriis instruxit, iuvenes autem loricas thoracesque in templis suspensas corripuerunt, quas maiores praedati deis sacraverant. Heros ita armatus cum grege suo parvo in Minyas iter fecit usque ad quasdam angustias. Hôc loco hostibus magnitudo exercitûs nihil profuit: Erginus ipse in proelio cecidit, necnon totus ferê exercitus eius absumptus est. At in hôc proelio etiam Amphitryon, vitricus Herculis, periit, qui fortiter pugnaverat. Hercules autem post proelium celeriter in Orchomenum urbem principalem Minyarum processit, invasit usque ad portas, castellum régis combussit, urbem destruxit.

Omnes Graeci admirati sunt hoc facinus extraordinarium, et Creon rex Thebanorum, ut meritum iuvenis honoraret, ei Megaram filiam dedit in matrimonium ducendam, quae postea heroi peperit tres filios. Alcumena autem eius mater secundo nupsit iudici Rhadamanto. Dei ipsi dona tulerunt semideo victorioso: Mercurius ei donavit gladium, Apollo sagittas, Vulcanus pharetram auream, Minerva vestimentum militare.

Hercules quomodo contra gigantes pugnaverit.

Heros mox occasionem nactus est deis pro magnis honoribus acceptis gratias agendi magnificas. Gigantes, animantes faciebus atrocissimis, capillis prolongis barbisque, caudis draconinis loco pedum, monstra, quae peperit Gaia aut Tellus Urano, id est Caelo, a matre suâ instigati sunt in Iovem, novum dominum mundi, quia is filios suos maximos natu, Titanes, in Tartarum iniecerat. Qui ex Erebo (id est ab inferis) erupti apparuerunt in latis campis Phlegraeis in Thessaliâ sitis. Stellae timore illos aspiciendi correptae palluêre et Phoebus currum Solis convertit. Tellus mater: »Heus filii, agite« inquit »ulciscimini me filiosque veterum deorum! Prometheus ab aquilâ admordetur, Tityos absumitur a vulture, Atlanti ferendum est caelum, Titanes iacent vincti. Abite, ulciscimini, servate illos! Utimini montibus, membris mei ipsius, ut gradibus, ut armis! Ascendite ad arcem stellatam! Tu, Typhoeë, e manu domini eripe sceptrum atque fulmen; Encelade, tu potire mari et in fugam conice Neptunum! Rhoetos Soli eripiat habenas, Porphyryon expugnet oraculum Delphicum!« His verbis auditis gigantes laetitiâ exsultavere, quasi victoriam iam peperissent, quasi Neptunum aut Martem abducerent triumphum agentes et Apollinem magnificis circinnis correptis

attractarent; alter Venerem iam dicebat uxorem suam, alter Dianam, tertius Minervam in matrimonium ducere cupiebat. Itaque montes Thessalicos accedentes in caelum impetum facturi.



Ecce „HERCULES ET GIGANTES IMPETUM FACIENTES“. Sculptura ectypa, quam annis 1788-91) confecit Carl Gotthard LANGHANS (1732-1808). Haec sculptura invenitur in Berolinensi PORTA BRANDENBURGICA.

Interim Iris nuntia deorum omnes deos caelestes convocavit, omnes deos, qui in aquis et fluviis habitant; carminibus ipsos Manes ab inferis civit; Proserpina reliquit regnum suum umbrosum, eiusque maritus, rex tacentium, equis suis lucem fugientibus vectus est usque ad Olympum fulgentem. Ut in urbe, quae obsidetur, incolae undique concurrunt arcem obtecturi, sic dei multiformes convenêre ad focum patrium. Iuppiter eos sic allocutus est: »Dei congregati, videtis Tellurem matrem novâ cum prole suâ coniurationem fecisse contra nos. Agite, tot cadavera demittite, quot illa filios nobis subduxerit!« Pater deorum cum finivisset, e caelo consonuit tuba tonitrualis, et e terrâ Tellus respondit motu perterricrepto. Natura tam vehementer perturbata est quam in primâ rerum creatione; nam gigantes unum montem post alterum eripiebant e radicibus suis, Ossam, Pelion, Oetam, Athum attrectaverunt, Rhodopen dimidio cum fonte Hebri abruperunt et cum hac scalâ montium nixi essent ad sedem deorum, coeperunt taedis e quercibus confectis ingentibusque saxis usi impetum facere in Olympum.

At dei caelestes oraculo acceperunt a se nullum gigantem posse deleri gigantesque non morituros esse, nisi vir mortalis unâ secum pugnavisset. Hôc audito Tellus dea quaesivit remedium, quo filii sui fierent inviolabiles etiam adversus mortales. Reverâ autem talis herba in terris nascebatur; sed Iuppiter Tellurem praeveniens Aurorae interdixit, ne luceret Lunae Solique, et Tellure in tenebris quaeritante Iuppiter

properê ipse herbas salubres desecuit iussitque per Athenam Herculem filium participem fieri pugnae deorum gigantumque.

Interim in Olympo pugna iam exarserat. Mars currum suum bellicum cum equis hinnientibus direxerat medium in agmen hostium incursantium densissimum. Eius scutum aureum igne lucidius ardebat, crista cassidis fulgenter fluitabat. In pugnae tumultu Mars hastâ transfodit Pelorum gigantem, cuius pedes erant duae serpentes viventes. Deinde Mars gigantis mortui membra se incurvantia curru conculcans transvectus est; at Hercule viro mortali demum aspecto, qui modo gradum Olympi ascenderat ultimum, monstrum tres animas suas efflavit. Hercules autem in campo proelii circumspiciens arcui suo destinavit hostem ferendum; sagittâ eius prostratus est Alcyoneus, qui mox irruit deorsum, sed ubi primum solum tetigit maternum, novo vigore reffectus surrexit. Minervâ suadente Hercules quoque descendit Alcyoneumque trans limites soli sui natalis protraxit; et ubi primum gigas terram alienam advênit, spiritum efflavit.

Nunc Porphyrius gigas simul minaciter invectus est in Herculem et lunonem, ut contra eosdem pugnaret singillatim. At Iuppiter celeriter ei instillavit cupiditatem faciem deae caelestem aspectandi, et Porphyrius lunonis velamen circumvolutum arripiens fulmine Iovis ictus sagittâ Herculis penitus occisus est. Mox Ephialtes ingentibus oculis fulgidis instructus ex acie gigantum excurrit. Hercules ridens ad Phoebum Apollinem iuxta se pugnantem versus: »En scopos« inquit »sagittarum nostrarum lucidos!«, et nunc deus oculum gigantis sinistrum, semideus dextrum iaculando ex capite eiecit. Eurytum Bacchus thyrsu suo occidit; Clytios humum prostratus est grandine scoriarum manu Vulcani eiectâ; In Enceladum fugientem Minerva iniecit insulam Siciliam; Polybotus autem gigas, quem Neptunus trans mare persequabatur, in Coem insulam aufûgit, sed deus marinus illum parte huius insulae abreptâ obtexit. Mercurius casside Plutonis obtectus Hippolytum occidit, duo alii Parcarum clavibus aeneis prostrati sunt. Ceteri ad terram afflicti sunt Iovis fulmine et sagittis Herculis.

Hoc facinore perpetrato dei caelestes Herculi semideo magnam benevolentiam praestiterunt. Iuppiter eis deis, qui pugnae pugnandae fuerant participes, nomen imposuit Olympiorum, quo honesto distingueret fortes ab ignavis. Hoc nomine nunc duos quoque filios mulierum mortalium dignatus est, Dionysum atque Herculem.

Hercules atque Eurystheus



Antequam Hercules natus est, Iuppiter in consilio deorum declaraverat primum Persei nepotem, qui nasceretur, dominum fore omnium nepotum Persei reliquorum. Hic honor attributus erat filio Iovis atque Alcumenae. At Iuno, ut erat subdola, de hoc honore filio aemulae minimè congaudens, quamquam Eurystheo, qui etiam erat nepos Persei, destinatum erat, ut serius quam Hercules in lucem eaderetur, tamen Iovem praeveniens curavit, ut ille natus prior proveniret. Ita factum est, ut Hercules serius natus Eurystheo regi facto Mycenarum subiceretur. Rex autem de iuvenis sibi affinis gloriâ augescente in dies magis sollicitatus Herculem sibi subditum ad se vocavit, ut ei mandaret varios labores exanclandos. Cum Hercules non oboediret, ipse Iuppiter consilio suo adversari volens iussit filium suum servire regi Argivorum. At semideus haud libenter statuit, ut minister fieret viri mortalis; itaque Delphos iit oraculum de hac re consulturus. Quod edixit haec: principatum ab

Eurystheo fraude surreptum a deis eo mitigatum esse, quod decem tantum facinora, quae ab illo mandarentur, ab Hercule essent perficienda. Haec si Hercules perfecisset, eundem participem factum iri immortalitatis.

His auditis Hercules incidit in gravem animi aegritudinem; nam viro inferiori ministrare ei visum est a dignitate atque conscientia optimae mentis vehementer discrepare; at Herculi visum est simul funestum atque impossibile Iovi patri suo non oboedire. Iuno autem, cuius odium iis rebus, quibus Hercules de deis bene meritus erat, non erat extinctum, hanc occasionem nacta Herculis aegritudinem animi mutavit in furorem efferatissimum. Itaque is tantam incidit in insaniam, ut Iolaum nepotem suum vellet interficere, et idem cum aufugisset, sui ipsius liberos, quos sibi pepererat Megara, sagittis iaculandis necaret, cum furore affectus crederet se arcu collineare ad gigantes. Longo demum spatio temporis transacto ab isto furore liberatus est; cum intellexeret, quam vehementer erravisset, de miseria sua sollicitus tantam aegritudinem suscepit, ut domo conclusa omni hominum commercio frui desineret. Cum denique magno spatio temporis transacto aegritudo deminuta esset, Hercules statuit, ut mandata Eurysthei susciperet et ad eundem venit Tiryntem, quae etiam pertinebat ad regnum Eurysthei.

MYTHOS GRAECOS

A GUSTAVO SCHWAB

THEODISCE ENARRATOS Q.T.

»DES HERAKLES ERSTE TATEN«

»HERAKLES IM GIGANTENKAMPF«

»HERAKLES UND EURYSTHEUS«

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

ADN

Fabula criminalis, quam scripsit *Ferdinand von Schirach*,
Latinè reddidit *Nikolaus Groß*



Ferdinand von Schirach (a.2009)

Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium

cfr Epistula Leonina 53, p.7-17; 54, p.4-10; 55, p.4-15; 78, p.18-27; 81, p.12-24.

Nina erat septendecim annos nata. Quae sedebat ante stationem ferrivariam prope hortum zoologicum sitam, ante eam positum erat pocillum chartaceum, cui inerant nonnulli nummi. Tempestas erat frigida, nix non iam liquescebat. Puella sibi has res non tales sibi animo confinxerat, sed eadem meliores erant quam omnes aliae. Puella cum matre ultimo ante duos menses telephonerat, vitricus ad telephorum ierat. Qui flens dixerat, ut puella reverteretur. Statim omnia in memoriam revocata erant, odor illius sudoreus et senilis, manûs illius capillatae. Puella auscultabulum deposuerat.

Puellae amicus novus, Thomas, etiam habitabat ad stationem ferrivariam. Qui erat viginti quattuor annos natus, puellam custodiebat. Ambo multa bibebant, potulenta alcohole abundantissima, quibus calefierent omniaque obliviscerentur. Cum vir puellam adiret, eadem cogitavit illum esse scortatorem. Puella non erat prostituta. Quae irascebatur, cum viri ex se quaerebant, quanti constaret. Aliquando in faciem viri sputaverat.

Senex quaesivit, num secum ventura esset, se habere habitaculum calidum, se nolle venerem. Se nihil velle nisi non esse solum ipso die natalicio. Qui aspectu erat bene disposito, fortasse sexaginta annos natus vel sexaginta quinque, amiculo crasso indutus, calceis nitidatis. Puella semper primo aspiciebat calceos. Puella frigebat.

»Non tecum veniam nisi unâ cum amico meo«, dixit.

»Scilicet«, vir dixit. Hoc ei etiam magis placere.

Postea sedebant apud virum in coquinâ. Vir iis dedit cafeam et placentam. Qui quaesivit, num puella vellet balneare, hoc ei fore salubre. Nina incerta fuit, sed Thomas adfuit. Nina cogitavit sibi nihil posse accidere. Ianua balnei carebat clave.

Nina iacebat in pyelo. Aqua erat calida, oleum balneare fragrabat betullas atque lavandulam. Primo virum non vidit. Qui ianuam post se clauserat. Bracis demissis vir masturbabatur. Hoc non esse malum, nonne? vir dixit incertê subridens. Nina audivit televisorium ex altero conclavi sonans. Nina clamavit. Thomas ianuam raptim pulsando aperuit, ansâ ianuae renes viri pulsati sunt. Qui aequilibrio amisso super marginem pyeli decidit. Iacuit in aquâ, prope Ninam, capite ventri Ninae appposito. Eadem pedibus palpitabat, genua attraxit, voluit exsilire, a viro aufugere. Cuius nares appulsit, ut sanguis in aquam destillaret. Thomas capillis arreptis virum sub aquâ retinuit. Nina adhuc clamabat. Quae in pyelo stabat, nuda, Thomam adiuvit cervicem viri deprimens. Nina cogitabat hoc fieri per tempus longum. Deinde vir non iam se movit. Nina pilos vidit clunibus viri insitos pugnoque pulsavit eius dorsum.

»En istum porcum«, Thomas dixit.

»Istum porcum«, Nina dixit.

Deinde nihil iam dixerunt. In coquinam ierunt et conati sunt deliberare. Nina manteli sibi circumvolverat, ambo fumabant. Nesciebant, quid sibi esset faciendum.

Thomas debuit res Ninae e balneo afferre. Corpus viri delapsum erat ad pavimentum, eodem ianua obstructa est.

In coquinâ Thomas: »Scin' necesse fore,« inquit »ut illi ianuam e cardinibus tollant cochliostrophio?« et Ninae dedit vestimenta.

»Nescivi«.

»Alioquin illum non poterunt e balneo extrahere.«

»Num hoc facient?«

»Aliter fieri non poterit.«

»Estne mortuus?«

»Puto«, dixit.

»Debes iterum introire. Marsuppium meum et charta identitatis adhuc insunt.«

Habitaculo perquisito Thomas invênit octo milia quingenta marcarum germanicarum mensae scriptoriae imposita. Verba, q.s. »Amitae Margaritae« involucro inscripta erant. Deteraserunt impressiones suas digitales. Deinde habitaculum reliquerunt. At nimis lentê, nam vicina, anicula perspicillo forti instructa illos conspexit per andronem euntes.

Tramine urbano vecti sunt ad stationem ferrivariam. Postea sederunt in popinâ.

»Terribile fuit«, Nina dixit.

»En istum baburrum¹«, Thomas dixit.

»Te amo«, Nina dixit.

»Ita.«

»Quid est? Tune quoque me amas?«

»Iste baburrus num deglupsit²?«, Thomas interrogavit illam directê aspiciens.

»Scilicet, quid aliud?« Subito Nina timore correpta est.

»Tune quoque aliquid fecisti?«

»Nihil feci nisi clamavi. En istum senem spurcatissimum«, illa dixit.

»Praeterea nihil fecisti?«

»Omnino nihil feci.«

Pausâ interpositâ: »Ista res« Thomas inquit »nobis fiet difficilis«.

Septimanâ post in statione ferrivariâ viderunt toechocollema columnae affixum. Ille vir erat mortuus. Astyphylax quidam noverat ambos circa stationem ferrivariam versantes. Qui sensit descriptionem vicinae illius fortasse quadrare ad eos. Ab astynomis interrogati sunt. At illa anicula Ninam Thomamque non certê recognovit. Vestimenta eorum ogglutinata³ sunt, magistratûs eorum fibras comparaverunt cum fibris in habitaculo viri mortui inventis. At inde nihil certi concludi potuit. Ille vir innotuerat scortator, bis punitus erat propter necessitationem⁴ sexualem coitumque cum minorennibus habitum. Nina Thomasque dimissi sunt. Casus non est patefactus.

.....

Nina atque Thomas omnia rectê fecerant. Per undeviginti annos omnia rectê fecerant. Pecuniâ viri mortui habitaculum conduxerant, postea

¹ baburrus, -ī m. orig. *Idiot*. Homo stultus, ineptus, scaevus. ISID.10,31; GLOSS. IV,589.4.

² dēglübō, -ere 3 sensu translato i.q. masturbari. AUSON. Epigr.71,7 (de Crispâ meretrice): Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam. TERT. De pall.3. PLAUT.Poen.5,5,33 (1312) Deglupta maena (mena).

³ *ogglütinō, -āre 1 orig. *abkleben*. i.q. taeniâ adhaesivâ ūti ad vestigia minora, e.g. in vestimentis recipienda. Hoc facere solent technici criminales.

⁴ +necessitātiō, -ōnis f. orig. *Nötigung*.

sedem transtulerant in domum serialem⁵. Destiterant ab ebriositate. Nina erat venditrix in megalopolio, Thomas apud emporum operabatur dispensator horrei. Connubio coniuncti erant. Eodem anno aucti sunt filio, anno post puellâ. Bene se habuerunt, res prosperê successit. Aliquando in negotiatione Thomas intervênit collegis manûs conserentibus; îdem se non defendit, quod Nina intellexit. Matre mortuâ Nina recidit in drogomaniam. Eadem denuo coepit fumare marihuanam. Thomas eam invênit in statione ferriviariâ, loco sibi consueto. Per nonnullas horas in scamno consederunt horti zoologici, deinde domum vecti sunt. Nina caput gremio reclinavit Thomae. Ea non iam eguit drogis. Amicos habebant, familiariter utebantur materterâ Thomae Hannoverensi. Liberi in scholâ bene discebant.

.....

At scientiâ geneticâ exauctâ sigarella cinerario viri mortui imposita ratione genetices molecularis sunt investigata. Omnes, qui illo tempore in suspicionem venerant, rogati sunt, ut subirent disquisitionem serialem. Epistula aspectu fuit minaci, insigni instructa, eidem verba inscripta erant, q.s. »Praeses astynomiae Berolinensis«, constabat e chartâ tenui, involuta erat involucro viridi. Quae per biduum iacebat in mensâ coquinariâ, dum animis captis Nina Thomasque de eâ sunt collocuti. Non potuerunt, quin disquisitionem subirent; illuc ierunt, bacilla bombacii⁶ oribus ingesserunt, non doluit.

Septimanâ post ambo ab astyphylacibus sunt comprehensi. Commissarius principalis: »Hoc« inquit »vobis est melius.« Qui nihil fecit nisi opus suum. Nina Thomasque omnia sunt confessi falso putantes confitendo malum non augeri. Thomas nimis sêro mecum telephonavit. Iudex non certo excludere potuisset infortunium, dummodo tacuissent.

.....

Sex septimanis post dimissi sunt ex custodiâ cautelari. Iudex investigator dixit casum esse perquam extraordinarium, accusatos interim societati esse firmê inclusos. Eisdem magnas quidem habere suspensiones, condemnationem esse certam, sed non fore, ut aufugerent.

.....

⁵ domus seriâlis orig. *Reihenhaus*.

⁶ *bombâcium, -îi n. orig. *Watte*. [Albert Sleumer, Kirchenlateinisches Wörterbuch, Limburg 1926, p.168]

Numquam investigatum est, unde Thomas pistolium accepisset. Îdem telo percussit cor Ninae, sui ipsius tempora. Ambo statim mortui sunt. A cane inventi sunt postridie. Qui iacebant prope Lacum natricum⁷, unus iuxta alteram positi, in alveo arenae abdito. Noluerant hoc facere in habitaculo. Nam duobus demum mensibus ante illeverant parietes.

FINIS

Haec fabula, cuius titulus originalis est „DNA“, invenitur in libro, quem scripsit Ferdinand von Schirach: „SCHULD - Stories“. Ungekürzte Taschenbuchausgabe. München (Piper Verlag) 2012, p.19-25.

FABULAM, C.T. »DNA«
A FERDINANDO DE SCHIRACH SRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

⁷ Lacus nātrīcum orig. *Wannsee*. Est lacus prope Berolinum situs. Nomen ducitur a verbo palaeopolabico (i.e. "altpolabisch"), q.e. *vąž "natrix". cfr Albrecht Greule, Deutsches Gewässernamenbuch: Etymologie der Gewässernamen und der dazugehörigen Gebiets-, Siedlungs- und Flurnamen. Berlin/ Boston 2014, p.573.

FABELLAE GRIMMIANAE

55. DE SCORDALO¹

Aliquando fuit quidam molinarius, qui fuit pauper, sed habuit filiam pulchram. Nunc factum est, ut cum rēge loqueretur eidemque diceret: »Est mihi filia, quae sciat e stramento nere aurum.« Rex autem, qui aurum amabat, cum haec ars sibi bene placeret, iussit filiam molinarii quam maturrimē ad se ducere. Deinde eam in cellam duxit stramenti plenissimam et rhombo sunculāque traditis: »Nisi ex hōc stramento« inquit »per noctem usque ad mātne neveris aurum, tibi erit moriendum«. Deinde cella est clausa, ut puella remaneret sōla.



En miserrimam hanc filiam molinarii ibi sedentem, quae nihil invēnit, quo vitam servaret, nam omnino ignoravit, quomodo e stramento neret aurum eiusque puellae angor tantopere exauctus est, ut denique inciperet flere. Tum subito ianuā apertā intravit pumilio dicens: »Bonum vesperum, virgo molinaria, quid tam vehementer fles?« Puella: »Eheu me miseram«, inquit, »e stramento mihi

¹ **Scórdalus**, -ī m. orig. *Rumpelstilzchen*. cfr angl. Rumpelstiltskin, Stiltskin; fr. Nain Tracassin; hisp. El Enano Saltarín; ital. Tremotino; Ρουμπελστίλτσκιν.

cfr OLD 1708, s.v. **scordalus** ~ī m.: “[Gk., cf. σκόρ(ο)δov ‘garlic’ (which was used to feed game-cocks)] One given to picking fights, a brawler, fire-eater. (seruus) ait: ‘his est Cestius qui patrem tuum negabat litteras scisse’; (filius Ciceronis) adferri ocius flagra iussit...erat autem ubi pietas non exigeret scordalus SEN.Suas.7.13; SEN.Ep.56.2; Tillius Cimber et nimius erat in uino et scordalus 83.12; PETR.95.7.” – cfr Georges, lat.-dt., 14.ed., t.II, col.2538, s.v. scordalus, ī, m.: “der Zankteufel, Sen.suas.7.14. Sen.ep.56,2 u. 83,12. Petron.95,7”.

<https://de.wikipedia.org/wiki/Rumpelstilzchen#Etymologie>: „...Der Volksmund bezeichnet vor dem Hintergrund dieses Märchens als *Rumpelstilzchen* oft eher kleinwüchsige Menschen, die durch ihre aufbrausende oder tobsüchtige Art auffallen – vielleicht im Versuch, ihren Mangel an körperlicher oder menschlicher Größe zu kompensieren. („Rumpelstilzchen“ = „Schrummelstelzchen“ = „Zwerg mit kurzen Beinen“). Besonders in Oberbayern bezeichnet „a Rumpelstilz“ abschätzig einen – nicht unbedingt kleinwüchsigen – Choleriker.“

nendum est aurum, sed hoc nescio facere.« Deinde pumilio: »Quid mihi dabis, si tibi hoc nevero?« »Torquem meam« puella dixit. Torque acceptâ pumilio consedit ante rhombulum, et ter trahebat stridebat fremebat – tum panus erat completus. Tum altero pano infixo ter trahebat stridebat fremebat – tum alter quoque panus erat completus: et sic deinceps factum est usque ad mâne, tum totum stramentum nendo erat consumptum, et omnes pani erant auro completi. Rex cum veniret visum, quid puella fecisset, stupefactus laetatus est, sed animo etiam cupidior factus iussit filiam molinarii alteram in cellam ducere stramenti plenam etiam multo maiorem et ex hâc quoque stramento aurum nere, si quidem vitam diligeret. Puella autem nesciens quid faceret flebat, cum subito ianuâ apertâ pumilio vênit et: »Quidnam« inquit »mihi dabis, si hoc stramentum tibi nevero in aurum?« »Anulum de digito detractum«, puella respondit.



Anulo accepto pumilio iterum nere coepit rhombo fremebundo, et usque ad mâne totum stramentum neverat in aurum fulgentissimum. Rex auro aspecto gavisus est ultra modum, sed auro nondum saturatus filiam molinarii in cellam ducere iussit etiam maiorem stramenti plenam et dixit: »Hoc stramentum tibi hac nocte nendum est; si tibi hoc contigerit, in matrimonium te ducam«. »Nam«, rex secum cogitavit, »uxor hac divitior tibi non fiet in toto orbe terrarum.« Cum puella sôla esset, pumilio vênit tertio, et: »Quid« inquit »dabis mihi, si nunc quoque e stramento nevero aurum?« Puella respondit: »Nihil iam habeo, quod tibi dem«. Tum pumilio: »Si ita est, pollicere te mihi, si regina facta eris, daturam esse primum infantulum.« »Quisnam scit, quid denique fiat«, filia molinarii cogitavit, nec, cum esset in angustiis, aliud scivit facere nisi pumilioni pollicita est id quod postulaverat; itaque pumilio tertio e stramento nevit aurum. Mâne autem cum rex venisset et omnia invenisset talia qualia optaverat, nuptias fecit puellam in matrimonium ducens, ut filia molinarii pulchra fieret regina.

Anno transacto regina pulchrum infantulum peperit non iam pumilionem illum recordata; at subito îdem conclave intrans: »Nunc« inquit »da mihi, quod mihi pollicita es«. Regina autem territa pumilioni praeiuit omnes divitias regni, si quidem sibi reliquisset infantulum, sed pumilio dixit: »Illa nolo, magis quam omnes divitias mundi volo aliquid animatum«. Tum regina coepit tam vehementer gemere et flere, ut pumilio, quem eius misereret, diceret: »Concedam tibi spatium trium dierum; hîc spatio temporis si inveneris, quid sit nomen meum, tibi licebit infantulum tuum retinere.«



Nunc regina per totam noctem de omnibus nominibus cogitavit, quae umquam audiverat, et nuntium misit per terram, qui sciscitaret longê latêque, quae essent nomina nova. Postridie cum pumilio venisset, regina coepit memorare Casparem et Melchiorum et Balthasarium, et ordine attulit omnia nomina, quae noverat, sed omni nomine allato pumilio dixit: »Hoc non est nomen meum.« Altero die regina iussit nomina quaerere ex hominibus quibuslibet, et pumilioni dixit nomina insolitissima maximêque mira, qualia sunt Bestia costata, Sura vervecina, Crus constrictum, sed semper pumilio respondit: »Hoc non est nomen meum.« Tertio die nuntius reversus narravit: »Novum nomen invêni ne unum quidem, sed cum ad montem altum circa angulum silvestrem situm venissem, ubi vulpes lepori dicit bonam noctem, vidi domunculam, et ante domunculam

ignis flagrabat, et circa ignem saliebat pumilio perquam ridiculus, altero pede saliebat et clamabat:

»Hodie panem coquo, cras braciabo,
perendie reginae filiam apportabo
Nemo scit – o quantum gaudium! -
nomen meum esse SCORDALUM!«

Tum regina perquam gavisata est, quod noverat nomen, et cum paulo post pumilio venisset et dixit: »Nunc autem, Domina regina, quid est nomen meum?«, eadem primo interrogavit: »Estne nomen tuum Conradus?« »Non est.« Deinde: »Estne Henricus?« »Non est.« Denique: »Num est SCORDALUS?«

»Hoc tibi dixit diabolus, hoc tibi dixit diabolus !«, pumilio clamavit et irâ incensus pedem dextrum humo tam vehementer impegit, ut inveheretur usque ad ventrem, deinde iratissimus pede sinistro ambabus manibus correpto se ipsum in duas partes discidit.



FABULAM GRIMMIANAM, C.T.

»RUMPELSTILZCHEN«

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

56. DE ROLANDO CARISSIMO



Aliquando fuit mulier, quae fuit vera sagana et habuit duas filias, quarum una foeda et mala, quam diligebat, quia ista fuit filia mulieris vera, et altera pulchra et bona, quam oderat, quia fuit eius privigna. Aliquando privigna habuit pulchrum encomboma, quod alteri filiae placuit, ut invideret matrique diceret se velle et debere hoc encomboma possidere. Tum vetula: »Quiescas« inquit »mea filiola, illud vestimentum habebis. Soror tua non germana iam pridem merita est mortem, hodiernâ nocte ad illam dormientem veniam eique caput abscidam. Tu autem cura, ut iaceas in lecti loco posteriore, et illam move ad locum satis anteriorem.« Nunc actum esset de miserâ puellâ, nisi modo in angulo stetisset et omnia audivisset. Eidem per totum diem non est permissum, ut foras exiret, et cum tempus esset dormiendi, sororem malam sivit incendere priorem, ut ea, ut voluit, iacere posset loco posteriore; sed cum soror obdormivisset, puella eam cautê semovit in locum anteriorem, ipsa autem se collocavit loco posteriore ad parietem sito. Nocte irrepsit anus, ascîâ dextrae manui impositâ, sinistrâ manu primo exploravit, num quis iaceret loco anteriore, deinde asciam ambabus manibus corripuit, et caput abscidit filiae - propriae.

Cum anus abiisset, puella surrexit et iit ad puerum suum amatum, qui vocabatur Rolandus, eiusque ianuam pulsavit. Ille cum exiisset, puella: »Audi,« inquit »Rolande carissime, nobis aufugiendum est quam properrimê, noverca enim me voluerat occîdere, sed errans meo loco occîdit filiam propriam. Sole oriente cum illa viderit, quid fecerit, nos, si adhuc aderimus, peribimus.« »Sed,« Rolandus inquit, »tibi suadeo, ut primo surripias illius baculum magicum, nam alioquin nos servari non poterimus, si illa nos indagabit atque persequetur.« Puella autem baculum magicum apportavit, et deinde capite mortuo sumpto tres guttas sanguinis sivit in pavementum destillare, unam ante lectum, alteram in coquinâ, tertiam in scalis. Tum aufûgit cum amico suo carissimo.

Mâne cum sagana surrexisset, filiam suam arcessivit eidemque voluit dare encomboma, sed illa non vênit. Tum clamavit: »Ubi es?« »Heus hîc in scalis, ubi scopo,« respondit gutta sanguinis. Anicula foras iit, sed neminem in scalis videns iterum clamavit: »Ubi es?« »Heus hic in coquinâ, ubi calefiam,« altera gutta sanguinis vocavit. Itaque anus coquinam iniit, sed ibi quoque neminem invênit. Tum tertio clamavit: »Ubi es?« »Ah, hic, in lecto, ubi dormio,« vocavit

gutta sanguinis tertia. Anicula iit ad lectum in cellâ statutum. Quidnam ibi vidit? En filiam propriam sanguine redundantem, cui ipsa caput absciderat.


Sagana irâ incensâ ad fenestram prosiluit, et quia prospicere voluit in terram longinquam, privignam suam aspexit cum Rolando carissimo aufugientem. »Hoc vobis non proderit,« clamavit, »quamquam iam procul abestis, tamen me non effugietis.« Tum anicula caligas induit miliarias, quibus induta omni gradu gradiebatur per spatium unius horae, ut paulo post ambos assequeretur. At cum videret aniculam aggredientem, puella baculo magico Rolandum sibi carissimum permutavit in lacum, se ipsam in anatem medio in lacu natantem. Tum sagana in ripâ constitit, frustra panis iniecit, studebat vehementissimê, ut anatem alliceret, sed anas non allecta est, ut anicula vespere re infectâ reverteret. Deinde puella Rolandusque eius carissimus in formam naturalem remutati per totam noctem ire perrexerunt usque ad primam lucem. Tum puella se mutavit in florem pulchrum, qui stetit medio in saepimento spinoso, Rolandum suum carissimum in violinistam. Nec mora, sagana aggressa musico dixit: »Care musice, licetne mihi pulchrum hunc florem decerpere?« »Licet,« ille respondit, »in hoc canam violinâ.« Illa cum properê in saepimentum reperet florem decerpitura, nam bene scivit, quis esset flos, ille coepit violinâ canere, ut sagana, volens nolens non posset, quin saltaret, nam fuit saltatio magica. Quo celerius Rolandus canebat, eo ingentiores saltûs saganae erant faciendi, ut spinis vestimenta aniculae de corpore raperentur, ea ipsa pungendo vulnerata sanguinem effunderet, et cum ille non desineret canere, saganae tam diu erat saltandum, dum decideret mortua.

Cum ambo essent servati, Rolandus: »Nunc« inquit »ad patrem ibo et nuptias praeparabo.« Tum puella: »Equidem« inquit »interim hîc manebo teque exspectabo, et ne quis me cognoscat, me mutabo in rubrum lapidem campestem.« Tum Rolandus abiit, et puella in formam rubri lapidis campestris mutata in campos stetit suumque carissimum exspectavit. At Rolandus domum reversus alius puellae fallaciis deceptus amatam suam oblîtus est. Quae misera per longum tempus stabat, sed amatus cum non reverteretur, puella in florem mutata cogitavit: »Aliquando aliquis aggressus calcando me perdat.«

At factum est, ut pastor quidam in campo oves custodiens florem conspiceret, et quia îdem flos erat tam pulcher, eum decerpit, secum abstulit cistulae suae impositum. Ex eo tempore in domo pastoris res factae sunt mirabiles. Cum îdem mâne surgebat, omnes labores iam erant exanclati: Conclave erat scopatum, mensae scamnaeque erant depurgata, in foco ignis erat factus et aqua ad focum portata; et meridie, cum domum ibat, mensa erat oblecta et bonum prandium impositum. Non comprehendit, quomodo hoc factum esset, nam numquam viderat hominem in domo suâ versantem, nec ullus homo poterat se abdere in casulam suam. Scilicet ei placuisse bonam administrationem, sed denique tanto timore affectus est, ut adiret mulierem quandam sapientem, ex qua quaereret,

quaenam rei causa esset. Mulier autem sapiens: »Huic rei« inquit »subest magia; primâ luce attende, num quid in conclavi moveatur, et si quid videris, quidcumque erit, statim superiace pannum album, deinde vis magica impediatur.« Pastor autem fecit id quod mulier dixerat, et postridie mâne, primâ luce, vidit cistam aperiri floremque evenire. Celeriter assiluit florique pannum album superiecit. Mox permutatione sublatâ ante pastorem stetit puella pulchra, quae illi confessus est se fuisse florem et curasse illius res domesticas. Puella pastori narravit, quae sibi facta essent et, quia pastori placuit, is ex illâ quaesivit, num vellet sibi nubere, sed puella respondit »nolo,« nam voluit Rolando suo carissimo, quamvis ille se reliquisset, fidem servare; sed pollicita est se non abituram, sed perrecturam esse domum curare.

Nunc tempus vênit, quo Rolandus erat nuptias celebraturus, tum secundum morem vetustum in terrâ enuntiatum est oportere, ut omnes puellae advenirent et in honorem sponsi sponsaeque cantarent. At puella fidelis hoc audiens tam tristis factus est, ut sibi videretur cor in corpore diffringi, noluitque illuc ire, sed ceteri venerunt eamque adduxerunt. Cum autem ordo illam vocaret, ut cantaret, puella recessit, dum sôla relinqueretur, tum non potuit, quin cantaret. At ubi primum puella coepit cantare canticumque a Rolando auditum est, is prosiluit et vocavit: »Hanc vocem nôvi, haec est sponsa mea vera, aliam non desidero.« Nunc omnia illa, quae oblîtus erat et ex animo suo evaserat, subito revenerunt in cor tamquam in domicilium suum. Tum tandem puella fidelis unâ cum Rolando suo carissimo nuptias celebravit, ut omnibus eius malis finitis incoharetur eius gaudium.



**FABULAM GRIMMIANAM, C.T.
»DER LIEBSTE ROLAND «
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

**HANC EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, d.22. m.Nov. a.2015

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>